



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De his qui contemnunt bannum ab episcopis impositum. lxxiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



verum & factis. Propter hoc enim statuimus, minimè vnquam in posterum contra sacra statuta aliquo modo communicemus excommunicatis, & diiudicemus nosmetipsos, quatenus in futuro nõ iudicemur à domino. Sequi cupimus dicta & statuta sancti Gregorij papæ, & pœnitentiam dignam agere volumus secretè in monasterio: quia publicè nequim⁹: in futuroq; prædicta omnib⁹ modis Deo propitio vitare volumus. Eandemq; legē statuentes presbyteris, diaconibus, & omni clero, si de gradu deponi noluerint, vt fideliter obseruent, & aliis seruare prædicent.

*De correctione episcoporum qui cum excommunicatis communicauerunt. Cap. LXXII.*

**A**utoritate apostolica firmamus dicta, & præcepta sanctorum canonum, & interdicimus, quàm diu quis excommunicatus sit, vt nullus nostrorū episcoporum ei audeat communicare, vel cum eo in Ecclesia orare. Et laici qui secuti sunt nos, vt dicunt, errando & sequendo nos modo, nos aut nosmetipsos per pœnitentiam macerantes corrigendo, & viam eis vitæ prædicantes, & aperientes: vt resipiscant à diaboli laqueis, à quibus per nostra mala exempla capti tenentur, & ad veram matrem Ecclesiam per pœnitentiam reuertantur.

*De his qui contemnunt bannum ab episcopis impositum. Cap. LXXIII.*

**N**emo contemnat neque transgrediatur bannum ab episcopis superimpositum. Sciat & abhorreat in epistola B. Clementis dictum, contra se scriptum. Si vobis episcopis nõ obedierint omnes, tam maioris, quàm & inferioris ordinis, atque reliqui populi tribus, & linguæ, non solum infames, sed & extorres à regno Dei, & consortio fidelium, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt, & audiant ipsum dominum in Euangelio dicentem: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Quapropter nos euangelicam & apostolicam considerantes auctoritatem, non quæstum pecuniarum, sed lucrum quærentes animarum, statuimus & confirmamus, vt si quis post hanc huius sancti concilij definitionem inuentus fuerit corrupisse bannum ab episcopis impositum, XL. dierum castigatione corripiatur tantum in pane, & sale, & aqua.

*Ex eodē. cap. 9.*

*Ex cōcil. Triburi. cui interfuit rex Arnolphus, ca. 8.*